

*Q. B. N.*  
**ITINERA  
PRISCORUM  
SCANDIANORUM  
IN  
AMERICAM,**

DISSERTATIONE GRADUALI

LEVITER ADUMBRATA  
*VENIA AMPLISS. ORD. PHILOSOPHORUM  
IN REG. ACAD. ABOËNSI,*

P RÆ S I D E  
RECTORE MAGNIFICO

**DN. PETRO KALM,**

OECONOMIÆ PROFESSORE REG. & ORD.  
REG. ACAD. SCIENT. SVEC. NEC NON SOCIET.  
LIT. UPSAL. SOCIO,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT,

**GEORGIUS A. WESTMAN**

*STOCKHOLMIENSIS.*

IN ACROAT. MAJORI d. XXVII. APRIL. A. MDCCCLVII.  
H. A. M. S.

ABOË, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

VIR Plurimum Reverende & Praeclarissime,  
**DNE A N D R E A  
W E S T M A N ,**

Sacri Coetus, DEO dicati in Skånela & Norsunda  
Uplandorum, Antistes Vigilantissime,  
PARENS OPTIME, SVA VISSIME.

**Q**Ui Tui, Pater Optime, exuberantis amoris innumerā expertus sum documenta, non possum non anxius hærere, qua ratione piūm gratissimumque animum Tibi significatum eam. Si verborum pompa Tua beneficia celebrare conarer, incassum sane laborarem, cum omne non solam meum eloquium, verum etiam cogitationem multis superent parasangis. Sive enim curram, quam mœae felicitatis egisti, sive sumitus in me factos expendo, illam diurnam nocturnamque deprehendi, hos vero maiores, quam a parente laetiori rerum supellecili instructo proficiisci potuerunt. Doleo, Mi Pater, largæ Tuae munificentie & fideliſſimæ curæ, exesse congruos penes me desiderari ingenii fructus; quidquid tamen sit, reperies Tuis votis conueniens pietatis & virtutis, nec non veræ sapientia sincerum conquirenda studium. Ut autem præsentes pagellas, Venerando Tuo Nominis exornatas, benigno iuscipias, tenui publicum meum te pietatis symbolum, reverenter oro & obtestor.  
**DEUM O. M.** supplex rogo, ut firmam & vegetam Tibi largiatur senectam, inque longam annorum seriem proœctam. Sic gaudebit Grex, latabitur Familia, exultabit ad ultima fata futuras  
**SVAVISSIMI NOMINIS PATERNI**  
Obsequientissimas eutor,  
GEORGII A. WESTMAN.



§. I.



Emini historica monumenta e-  
volventi ignotum esse poterit, plu-  
rimorum historicorum mentes il-  
lam occupasse opinionem, quod  
scilicet America, novus orbis ad-  
pellari sveta, recentiori ævo, &  
quidem ad finem vergente Sec. XV, a Christophoro  
Columbo primum detecta sit, qui, ut notissimum  
est, Hispanico instructus adparatu, in illam regio-  
nem proficiscebatur, eosque insuper sicco, ut dici-  
tur, pede præterire veterum ex septentrione huc  
instituta itinera. Hi, utrum neglecti antiquiorum  
scriptorum scrutaminis, nimiæve credulitatis, an ve-  
ro invidiæ merito sint incusandi, non facile dixerim.  
Considerato enim situ Americæ, qua Aquilonem spe-  
ctat, arbitrantur eruditæ fines hujus regionis a  
Grönlandia non procul esse remotos: antiquiora de-  
inde Islandiæ & Grönlandiæ monumenta docere, a

A

Scan-

-nibus

Scandinavia in Grönlandiam priscis temporibus fuisse navigatum, unde facillima in Americam fuit viapiraticas denique suas in hac orbis parte Scandianos exercuisse ajunt, pretiososque hinc in Scandiam deportasse thesauros. Quid? quod inter Scandianorum veterum & Americanorum DEUM colendi vivendique rationem aliqua reperiatur similitudo. Hæc argumenta operosiori labore conquisita ab auctore Dissertationis de *Itinere in Americam*, *prefide Max. R. D. D. O. Celsio. Ups. habita 1725.* satis superque evincunt, Americam a Septentrionalibus ante Columbi tempora fuisse visitatam. Cui rei nos aliquid luminis fœneraturos esse existimavimus, dum operæ pretium duximus oculos intendere in antiquiores relationes, de veterum Septentrionalium in Vinlandiam navigationibus, & examinata hujus regionis descriptione a veteribus tradita, præeuntibus fide dignis auctoribus colligere, hos peregrinatores Americæ septentrionalem attigisse plagam. Ut autem innoxiorum conatum a te, Benevolè Lector, benignissimam experiamur censuram, qua decet, animi observantia precamur.

§. II.

**R**Efert SNORRO STURLONIDES, per celebris Islandorum Legifer, in illustri opere historico, (a) sceptrum imperii Norvegici tenente OLAVO TRYGGVONIDIS filio, aliquot peregrinationes factas fuisse a quibus-

quibusdam hujus regni civibus, ut novas detergent terras, & sedes in his terris fixas sibi adquirerent. (b) Regionem, ad cuius oras navigia appulerunt septentrionalium, *Vinlandiae* nomine ab illis insignitam esse deprehendimus. (c)

(a) *Hist. Reg. Sept. in Vita Olavi Tryggvoniðis Cap. 104. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.* Etiam si deliderentur hæc capita in codicibus hujus operis *Sturlonidis* non paucis, teste Torsæo in *Præf. ad Hist. Vinlandiae antiquæ*, qui simul auctor iisdem ex *Flateyensi* codice excerptis *Sturlonidis* historiam auxit; attamen *Peringskioldius* antiquiorum codicum fidem secutus, firmisque omnino nixus rationibus, *Sturtonidi* hæc capita vindicasse censendus est. Præterea ad caput rei parum facit hæc ipsa circumstantia, cum Flateyensis codicis antiquitas in eadem luce vetustam collocet historiam, ut docet Cel. Prof. Bring in *Diss. sub ejus moderamine habita Lond. Scan. de Meritis priscorum Scandianorum in Navigationem & commercia p. 10.*

(b) Primus Scandianorum, qui hanc orbis partem, quantum constat, adspexit, est Biörno Herjulfson, qui exeunte Sec. X. ignota prius hæc littora legit. Cujus itineris narrationem exhibit Snorro C. 104. p. 327. Longioris testimonii *Sturlonidis* sensus est: Postquam Biörno per tres dies Grönlandiam versus ab Islandia fecisset iter, flebitur ventus in

Boream, quo per plures dies flante, terram vident; Hac a sinistris relicta, post bidui navigationem, terra iterum conspectui eorum se offert campestris & silvosa, quam demum relinquentes, Africo, qui fere inter meridiem & occasum medius est, flante, in Grönlandiam perveniunt. Si hanc navigationem ad situm terrarum conferamus, quilibet facile videt, nullas alias terras oculis Biörnonis fuisse oblatas, quam Americam Septentrionalem. Qui enim in alto mari supra Islandiam constitutus est, & Euro Borea impellente fertur, non potest non in littora hujus regionis incidere. Et qui hac ratione proficiscitur, ut Terram Novam a sinistris habeat, is sine ullo negotio, biduo elapso, aut novam Angliam conspiciet, aut australes Laurentii fluminis ripas. Quoniam vero nullæ aliæ in hac plaga sunt terræ, omnis etiam erroris metus e calculo exulat. Vide *Dissert. nuper citatam* p. 12.

Conspetas a Biörnoue terras accuratori indagine perlustratus *Leif Ericsson* clarus antiquæ Grönlandiæ incola, sese cum magno navigio & XXXV. viris, fluctuantibus undis tradidit, & post scopulosam inventam terram in regionem campestrem, silvisque consitam appulit, qua relicta, post bidui navigationem, vento Euro Aquilone peractam, vident aliam terram, ac ad insulam, quæ continentem a Septentrione spectabat, perveniunt, atque, insula iterum relicta, superato versus occasum promontorio, ingenti simul trajecto flumine, in continentem terram appellunt, ædibusque constitutis,

tutis, quas *Leifsbodar* dixerunt, placidam ibi hie-  
men transegerunt; adpetente autem vere in Grön-  
landiam reverterunt. *Sturl.* p. 330. 331.

Post Leifium frater ejus *Thorvald Ericsson* XXX.  
virorum comitatu stipatus ad eadem loca cursum  
direxit, ibique ad domicilia a Leifio exstructa tem-  
pore currentis hiemis confedit. Ille a Vinlandiæ in-  
colis, mortifero iectu percussus animam efflavit, ibi-  
que sepultus est. *Sturl.* p. 335.

Post fata Thorvaldi, alter *Leifi* frater *Tor-steinus Ericsson*, una cum uxore sua Gudrid & L' viris robustis Vinlandiam petiit, funus fratris sui occisi ad patrios lares deducturus; Postquam vero per æstatem integrum in mari jaëtati essent, nesciū quo locorum deferrentur, circa brumalium noctium initium, in Grönlandiam appulerunt, ubi Torsteinus gravissimo implicitus morbo diem obiit supremum. St. C. 108. Deinde *Thorfinnus Karlsefnius* LX. viris & V. feminis in itineris societatem receptis, adquisitis insuper armentis varii generis, aliisque rebus, quæ usibus domesticis inferviunt, in Vinlandiam profectus est, illamque terram incolere con-  
stituit, verum ob crudelitatem incolarum violentas manus quibusdam peregrinationis sociis inferentium, consilium mutavit, & exactis ibi duabus hiemibus domum rediit. *Sturl.* C. 109. Ultimo loco men-  
tionem facit auctor *Freidisæ* sororis Leifi, Thorval-  
di atque Torsteinii, quæ adjunctis sibi sociis duobus  
fratribus Helgo & Finboga, hanc regionem saluta-  
vit, ibique ob discordiam eam inter binosque fratres

exortam, eosdem cum plurimis itineris sociis interficiendos curavit; scelere autem commisso, navem suam magnis in Vinlandia collectis opibus onustam in Grönlandiam duxit. *Sturl.* C. 110.

(c) Hoc nomen regioni dedisse Leifum indicat Sturlonides, ut indoli ejus convenientissimum, quippe quæ frugiferis vitibus uvisque mellifuis abundavit. *Sturl.* p. 333.

### §. III.

**VInlandiam**, ut situ amœnissimam regionem describunt septentrionales, silvis consitam, frequentibus aquis terræ tractus interfluentibus (d). Multas ibidem insulas viderunt, albamque arenam (e), internientes simul in aquis scopulos & syrtes (f).

(d) Plurimas Americæ Borealis plagas silvis esse refertas, observat Cel. Præses in Itiner. Amer. Tom. II. p. 220. 272. ita tamen, ut patentes interdum conspiciantur campi, agris, pratis atque pascuis destinati. Iter facientium oculos mirum in modum oblectant jucundissimæ planities, partim arborum frondiferarum tractu, partim rivulis aquarum limpidissimarum distinctæ, locorumque humilium cum editioribus ubique obvia mutatio. Vide Itin. Cel. Præs. p. 276. 272.

(e) *Sturl.* p. 335. Hanc autem esse fere ubique faciem littorum Americæ Septentrionalis Cel. Præses

fes & peregrinatores hujus partis omnes uno quasi ore adfirmant.

(f) Sturl. p. 335. Hæc aptissime & ex omni parte in littora Americæ Septentrionalis quadrare. abunde testantur itineraria; vide etiam Cel. Præsidis Itin. Amer. T. II. p. 160. 162. 362.

#### §. IV.

**I**N hac terra, tantam soli felicitatem animadverterunt veteres, ut nec hiemali tempore grama vel pastus armentis deessent, quum parum vel nihil arescerent herbæ, nec ibi esset gelu tenero gramine infestum. (g) Æquinoctia fuerunt hic majora, quam in Islandia & Grönlandia, & sol etiam brevissimo die designabat jentaculi tempus & horam feriarum pomeridianarum. (h)

(g) Sturl. p. 331. Quotidie per totum annum in pascua plurimis in locis apud Americanos, ducta deprehenduntur pecora, quemadmodum id ipse vidit Cel. Præses, & in primis hoc observavit de ovibus in Itin. citato p. 388. & de cæteris armentis in Tomis proxime sequentibus. Haud quidem diffitendum est, in plurimis Americæ Borealis tractibus, per duos vel tres menses, tantam sæpius ingruere frigoris vim, ut illi, quo uruntur Sveci, nihil omnino cedat. Vide

de Campanii Descript. Pennsylv. p. 46. & Cel. Præf.  
 Itin. p. 37; interim tamen ex observationibus Cel.  
 Præsidis edocemur in Pennsylvania hiemale tempus  
 admodum esse lehe brevissimumque. Eandem aëris  
 jucunditatem ibi experiri licet ineunte mense Febru-  
 ario, ac in nostra patria ad initium mensis Maji.  
 Frigidissimi ibidem dies hemales sæpius respondent  
 temporis producti veris in media Sveciæ parte &  
 Australi Finlandiæ. Vid. Cel. Præf. Itin. p. 184.  
 236. 237. Præsto denique est maxima tempestatis  
 vicissitudo, adeo ut unius diei durius gelu plerum-  
 que insequatur altero die mira aëris indulgentia, ca-  
 lorem fere æstivum adferens; Hinc quoque fit, ut  
 ex pristino gelu grama nihil detrimenti capiant.  
 Experientia etiam condoceficit, aquam maritimam,  
 creberrimo concitatam motu, aliquem caloris gra-  
 dum impertire regionibus mari proximis, adeo ut  
 hæ minore adficiantur frigore, quam a littore ma-  
 ritimo procul dissitæ terræ. Hinc incolæ orarum  
 maritimarum Americæ Septentrionalis (si regiones  
 fluvio Laurentii magis boreales excipias,) plurimis  
 in locis terram nîve, & aquam glacie rarissime ob-  
 ductam vident, uti Cel. Præses testatur. Quemad-  
 modum præterea apud nos unius anni tempestas  
 hiemalis alteri plane est dissimilis, sic idem in hisce  
 terris observatur. Hinc calculos ita subducere liceat:  
 Sicuti in confesso est, Leifium primum Vinlandiæ  
 scrutatorem, cum suis comitibus, in regionibus ma-  
 ri finitimus omnino constitisse; credere etiam fas est,  
 ipsius in Vinlandiam peregrinationem incidiſſe in  
 illum

illum annum, quo mitiori tempore hiberno gaudebat Vinlandia, ac in Svecia annis 1750. & 1756. insolita prorsus aëris lenitudo mense Martio herbas e gremio terræ eliciebat; adeoque eo ipso nihil roboris nec de assertione Leifi, nec de nostra sententia descendere merito arbitramur.

(h) Diversam plane interpretationem hujus periodi a Peringskoldio & Torfæo exhibitam, evincit Cel. Prof. Bring, nos ergo tutissimam ingressuri viam, hujus magni Polyhiltoris explicationem adoptare consultissimum duximus. Vid. Diss. laud. p. 14. Innuit heic antiquus ille scriptor, Dies & noctes magis esse æquales in hac terra, quam in locis septentrioni propioribus. Ita autem esse in variis locis Americæ Septentrionalis, Latitudo locorum abunde ostendit e. g. Philadelphiae in Nova Svecia Sol brevissimo die oritur hora VII. & 15. min., occidit vero hora IV:ta & 45 min. Quod ad ultima verba Snorronis adtinet, sol hafdi that eiftar stad oc dagmala stad um fannideigi/ fatemur illa tam obscura esse, ut vel Oedipo opus sit ad ea explicanda.

### §. V.

**F**ertilissimam fuisse Vinlandiam ferunt Aquilonares illi scrutatores, lautissimique præditam adparatu vitium, uvarum, (i) diversarum arborum, (k) piscium aliarumque divitiarum (l). Deprehenderunt etiam

B

iam

iam campos triticum sine humana industria  
producentes (*m*). Quid? quod roris, ma-  
tutino tempore herbas irrigantis, svavem  
dulcedinem gustarunt (*n*).

(i) Snor. St. p. 332. Verba auctoris ita jacent.  
 Hann taladi tha fyrst leingi a thysku oc skaut mar-  
 ga wega augunum/ ok gretti sit. Enn er their  
 skilldu ej hwad hann sagdi/ han mällti tha a Nor-  
 rānu er stund leid/ ek war geinginn ej miklu leingra  
 enn thid/ kann ek nockur nymáli at scigia/ thwiat  
 ek fann winwith oc winber. Men that satt fostrí  
 minn seigir Leifur/ ad wisu et that satt kwad hann/  
 twiat ek war thar fáddur er hworki skorti winwidu  
 ne winber; Nu swafu their af nottina/ enn um mor-  
 gunin mällti Leifur wid hafeta fina/ nu skal hafa  
 twennat syslur fram ok skal sinn dag hwort/ lesa winber  
 edur hoggwa winwid/ oc fell a morkina so at that  
 werdi farmar til skips min/ ok thetta war rad tekit.  
 Swo er sage at eptir that batur theitra war fyll-  
 dur af winberium/ war hoggrinn farmur a skipit.  
 i. e. ibi distortis oculis, contractisque rugis primum  
 Teutonico sermone locutus est (scilicet Australis ille  
 vir Turkerus) Quæ cum ipsis ignota videretur lo-  
 quela, Norvegica lingua sensus suos exprimere cona-  
 tus est. Ipsius vero præcipue esse, ut commemoraret  
 se, et si longius inde non progressus fuit, multas vi-  
 neas vitesque reperiisse. Tum Leifius de rei veritate  
 certior fieri cupiebat; cum rem ita se babere pluribus  
 affecea-

asseveraret Turkerus, nec se omnino falli dicens, si quidem & ipse in ea natus sit patria, quæ vineis uitibusque abundabat. Posteaquam vero noctem in hoc loco transegissent, sociis suis primo diluculo dixit Leifius, bina omnino negotia ipsis peragenda restare, alterius officio per singulos dies funduris, nimirum uvas decerpendas esse, cædendasque vites, quibus navis oneraretur. Adprobato autem Leifii consilio, cymbam primum uvis impletam esse fertur, excisam vero deinde tantam arborum multitudinem, quantam navis ipsa capere potuit. Feracissimam esse Americam Borrealem omnium rerum, quæ humanæ vitæ sustentandæ & oblectandæ unquam conducunt, dubitare nos prohibent itineraria. Maxima enim copia uitium uvarumque variarum abundare non solum Virginiam, verum etiam Pennsylvaniam, NovEBoracum, Novam Angliam atque Canadam, testantur Campanius in Dscr. Penns. p. 43. & Cel. Præses l. c. p. 467. inque Tomis subsequentibus. Partem harum uvarum, in aridis locis nascentem saporis esse gratissimi, diversisque usibus esse Americanis, præterquam quod exinde vinum parari queat, vino ex Gallia advecto, bonitate nihil cedens, itidem B. Letorem certiorem facit Cel. Præs. l. c. p. 274. Fruimenta profert hæc regio innumerosque fructus absque anxia cura & molesto labore. Vid. Recueil de Voyages au Nord. Tom. V. p. 10. Campan. l. c. p. 31. 99.

(k) Silvas in America Septentrionali conspiceret licet refertas arboribus sapidorum proventuum

fœcundissimis, aliisque rei manuariæ valde utilem & pretiosam materiam suppeditantibns. Videsis Rec. de Voy. au N. p. 61. 351. Campan. 26. 30. Cel. Præsid. 288. Inter arbores hujus regionis præstantiores numeratur arbor *Mosur*; sic enim Snorro Sturlaides p. 333. *thar woru-thau trie er Mosur heita;* h. e. erant etiam ibi arbores *Mosur* & iterum p. 349. de Thorfinno Karlsefnio in Norvegia tum degente agens: *Tha kom at honom Sudur mathur einn/ át-tathur or Brimur a Saxlandi, han saladi ad Karlsefni hufasnotru hans.* Et wil ej selja sagdi han. Et mun gefa thier wid halfa mork gulls sagdi Sudur mathur. Karlsefni thotti wel widbodit of Reipti. Síthan for Sudur mathur hitt med husa snostruna; enn that war Mausur kominn af Vinlandi. h. e. *Heic vir quidam meridionalis, familia inferioris Saxonie Brehmæque urbis oriundus ad ipsum pervenit. Is stateram ligneam Karlsefni licitatus, cum eandem vendere nollet alter, dimidiā auri maream se datum pollicitus est; Hanc conditionem accipiens Karlsefnius, stateram ipsi vendidit, qua accepta abiit vir ille meridionalis. Ignorabat autem Karlsefnius, quod ex lignis Mosur Vintlandiae statera illa confecta esset.* Difficile hic est, si non profus impossibile, explicare, quæ & qualis hæc fuerit arbor, cum more veterum, nulla ejus detur descriptio, nullæ illius enumerentur qualitates, unde cognosci posset. Cum vero sic sola præ cæteris nominetur, arborem fuisse singularem præstantemque, fas est credere, præcipue cum meridionalis ille vir, Karlsefnius pro una tantum statera

ex

ex ligno hoc fabricata, dimidiā autem marcam sol-  
verit. Inter arbores Americæ Borealis præstantiores,  
quæ fabris lignariis præ cæteris arrident, quæque  
longe majori pretio & carius, quam ceteræ, ven-  
duntur, sunt in primis hæc tres: *Juglans nigra*. Linn.  
spec. 997. *Prunus Virginiana* Linn. spec. 473. & va-  
rietas *Aceris rubri* Linn. spec. 1055. vid. Cel. D.  
Præsidis it. Am. Tom. II. p. 501. Si jam conjectu-  
ræ sit locus, fortassis Sturlonidis *Mosur* & *Mausur*  
idem fere significat, quod vocabulum Svecicum *Ma-  
sur*; *Masur* autem Svecis voeantur tubera, tophi, tu-  
bercula seu prominentiæ, quæ sæpe exseruntur in  
antiquis Betulis ex medio caudice; quæque tenu-  
ciora sunt reliquo ligno, cum fibris constent intor-  
tis & implicatis; ex his vascula & utensilia varia  
propter fibras illas implicatas, colore variantes, mar-  
mori variegato quodam modo similia, sæpe per-  
elegantia conficiuntur, conf. Linn. flor. Lapp. p. 264.  
Ejus autem indolis, iis tamen longe pulchrior  
atque præstantior, in America Septentrionali, est  
varietas prædicta *Aceris rubri*, quæ ob raritatem &  
elegantiam a Ligni fabris fere omni alii arbori ante-  
fertur, & carius emitur, de qua prolixius agit C.  
D. Præses in Itin. Am. Tom. II. p. 288. 289. Cre-  
scit vero hæc varietas non solum in Pennsylvania,  
sed etiam per totam Americam Septentrionalem, li-  
cet rarer sit, & non tam vulgaris ac ipsum *Acer  
rubrum*. Datur quidem hic etiam varietas *Juglan-  
dis nigræ*, quæ præcedenti aceris rubri adhuc ele-  
gantior est, illaque longe carior. Vid. it. C. Præs.

l. c. sed cum eadem varietas valde rara sit, cumque Juglans nigra ultra gradum Latit. boreal. 41. versus septentriorum spontanea non inveniatur, tutius fortasse videtur statuere, per Mosur Sturionidis, varietatem aceris rubri supra nominatam intelligi. Varias præterea arbores dulcissimo fructu præditas ibidem inveniunt incolæ, uti plures species & varietates Juglandis, Morique, Castaneam, Poma silvestria, Mespilum, Ceraforum varias species & varietates, Diaspyrum, Rubum occidentalem, aliasque; Vid. C. D. Præsid. It. Am. T. II. p. 200. 208. 209. 226. 254. 255. 273. &c. Pascua cujuscunque generis animalibus repleta sunt. Camp. p. 30.

(1) In flaviis æque ac in mari capitur insignis piscium diversi generis multitudo. Rec. de V. au N. 61. Camp. 31. E piscibus, quorum in Vinlandia copiosissima erat捕獲, præcipue mentio fit *Salmonum* atque *Balænarum*. De Salmonibus sic loquitur Snorro p. 331. *Hvorki skorti thar Lax i watni-  
nu ne i anni/ oc stærra Lax enn their hofdu fyrir sied.*  
h. e. interprete Peringskioldio: *Hic vero Salmonibus  
annis pariter atque mare magna scatebat copia, sibi  
antea non visa magnitudine.* *Salmonum* vero ingen-  
tem copiam reperiri in plurimis Americæ Borealis  
locis, tam in mari, quam præcipue in flaviis, a-  
bunde testantur Peregrinatores & Topografi; Sic  
e. g. verba audiunt *WILHELMI DOUGLASS* in  
*Summary of the British Settlements in north America*,  
in urbe Boston Amer. Borealis A:o 1749. edito, p.  
304. *Salmon are plenty in all the British North-A-  
merica*

merica Rivers from Newfoundland to about N. Lat. 41. D. they set in to Massachusetts Bay about the middle of April, they do not chuse warm weather, therefore do not continue there long after having spawnd; further North they continue many months. Quod ad Balænas adtinet, de iis Snorro ita verba facit p. 342 *Theim var bratt i hendur mikil faung oc god/ thwiat Reidur war thað upprekinn hædi mikil oc god/ foro til sithan ok skaru hwalsinni, storti tha ej mat;* h. e. *ibi vero felici præda potiti sunt, cum Balænam ingentem æstu maris in arenam propulsam cepissent.* Balænas autem variarum specierum in Oceano Americæ Borealis & inveniri & capi, sæpiusque in arenam & littora pelli, plurimi indicant auctores. Refert C. D. P. in it. suo balænas non raro flumina majora Am. Borealis ad plura millaria errantes ascendere, & sic ab incolis restitu maris occidi; de Balænis sic loquitur Douglass in operis citati p. 56- *The New England Whalers distingwish 10. or 12. different species of the whale-kind.—Sperma Ceti whales are to be found almost every where.* p: 296. *The true or bone whales go Southward towards vinter, and return Northward in the spring. Formerly in New England Cape-Cod embay'd them, but being much disturbed they keep a good offing.* p. 297. *a Whale stranded back of Cape-Cod, yielded 134. barrels oil; this whale was so fat, that some poor people tried the muscular flesh, and made 30. barrels more oil.* Quod vero ubique ad littora Am. Septentrionalis sit fluxus atque refluxus maris,  
quod-

quodque ejus altitudo sæpius plures superet pedes; notissimum est. Vid. sis C. Præsid. it. cit. pag. 185. 363. Ad Quebecum Canadæ ejus altitudo quotidiana 16. pedes Gall. æquat, observante C. Præside. Etiam hæc orbis plaga, mox supra laudatis a benignissimo Creatore locupletata donis, huc iter facientibus ita se commendavit, ut terrestris paradiſi nomen ipsi adtribuere non dubitaverint. Camp. 26. 29.

(m) De *Triticō* ibidem sponte nascente sic Snorro p. 333. *Þat woro og hweiti aſtar ſialſſaner.* Ejusmodi autem frumentum spontaneum in quibusdam Am. Sept. locis inveniri, varii autores testimonia perhibent. P. CHARLEPOIX *Hist. gener. de la Nouv. France T. II. p. m. 250*, de insula magna *Terre neuve* dicta agens, hæc verba habet: les uns (de l' auteurs, qui ont parlé de cette île) assurent, que le ciel y est presque toujours serein, qu' on y voit de belles forêts, que les campagnes y sont fleuries, & couvertes de fraises; que les buissons n' y sont presque que des *Framboisiers*, dont le fruit a un goût merveilleux, que les eaux y sont bonnes, qu' on y trouve des vallons très-fertiles, & qu' il y croît sans culture une espece de *Segle*, qui est fort nourrissant; &c. Sed quodnam frumenti genus fuit hoc *Triticum* sponte crescens a veteribus Scandianis in A. visum, non facile est dictu: Crescit quidem in A. S. frumenti genus spontaneum, cui nomen apud Botanicos est *Zizania*, Vid. Gron. flor. Virg. 189. quodque dulcissimum ac sapidissimum

*soup*

num præbet cibum saporis gratia cum Oryza certantem, vid. Rec. de Voy. au Nord Tom. IX. p. 296. La nouvelle maison rustique par Liger p. 649. triticum vero illud a Scandianis repertum hæc zizania esse non potest, quippe quæ nullo modo Tritico, sed Avenæ similis est, unde eadem Gallis *la folle Avoine* audit, & præterea non in campis & agris, uti Triticum, sed in ipsis aquis habitat. Tutius igitur existimamus illud Triticum sponte nascens esse *Elymus arenarium*, Linn. Flor. Svec. edit. 2. §. III. qui etiam Tritico persimilis est, & cogente necessitate, Tritici fere locum implere potest, Vid. Cel. Præfid. it. Bahusiente p. 72. 73. Unde von Royen flor. Lugd. p. 71. illum Tritici nomine insignit, & Nob. Linnæus in ed. I. Floræ Svec. secale, Bahusienses vero *Strandråg* adpellant. Habitat Elymus hic in variis locis Am. Sept. in primis in maritimis, solo arenoso, ubi interdum tanta prostat copia, ut agros lætissimos Tritici sativi mentiatur. Cel. D. Præfidem in fluvio S:i Laurentii navigantem Canadenses, itineris socii, certiorem fecerunt de insula quadam parva mox appropinquante, quæ Tritici spontanei ingentem copiam produceret, quam petens D. Præses, nullum aliud Triticum præter Elymus hunc arenarium ibidem quasi agrum Tritico copiosissime constitutum constituentem invenit; hinc credere licet, per Secale, cuius mentionem facit P. CHARLEVOIX l. c., etiam nihil aliud intelligi, quam Elymus prædictum.

(n) Storl. p. 330. Difficilior est hujus commatis explicatio: exsudant quidem plantæ quædam A. Sept. æstivo tempore rorem quendam subdulcem, mannae fere æmulum, quod etiam in Patria nostra fieri animadvertisimus: Sed pauca tantum Novi orbis vegetabilia ejusmodi sudorem edere observatum est: fortassis igitur Scandiani nostri, in illas herbas, quæ calidissimo tempore æstatis, rore hoc mellifluo gaudent, casu inciderunt, & hinc a particulari ad universale concluserunt: fortassis etiam more nonnullorum peregrinatorum & nautarum, hyperbolica dicendi ratione uti illis placuit, quo aliis novas hasce terras invisendi cupiditatem injicerent, stimulque adderent.

### §. VII.

**D**E incolis Vinlandiæ, *Skrælingis* (o) dicitis, nonnulla, etiam a Scandanis peregrinatoribus observata legimus, quod scilicet cymbis ex cortice arborum fabricatis aquas trajecerint (p). Arcubus deinde & sagittis usi fuerunt, cum quibus contra Scandianos pugnarunt, quorum arma Skrælingis terrorem incussisse perhibentur (q). Perterriti denique mugitu Tauri, quem secum tulerunt Septentrionales, in fugam se contulerunt. (r).

(o) Hoc incolarum nomen natales suos debere incon-

inconlito illorum sermoni, existimat auctor Diss. de It. in Amer. p. 21.

(p) 336. Sturl. Hujusmodi navicularum, ex cortice confectionarum, usum apud A. Borealis incolas hodierno etiamnum tempore frequentissimum esse, extra dubitationis aleam ponunt Auctor Libri Voy. au N. p. 18. 19. Camp. 136. & in primis auctor Diss. de cymbis amer. ex cortice Betulae confectionis Aboæ 1753. habitæ, ubi hæ naviculæ descriptæ atque delineatæ comparent. Ejusmodi autem cymbas non solum ex cortice Betulæ albæ, sed etiam ex cortice Castaneæ & Juglandis speciei, Hickory Anglis vocatae, Amer. Sept. incolæ conficiunt.

(q) Sturl. p. 336. Etiamsi recentiori ævo Americani artem didicerint explodendi bombardas, quas ab Europæis pretio sibi comparant, arcus tamen & sagittæ, ut potissima instrumenta bellica, non raro adhiberi solent. Camp. p. 145. Diss. de It. in Am. 42. Licet cum vicinis gentibus saepius congregantur Americani, cum Europæis tamen non libenter configere ausi sunt, quoniam eos singulari rei militaris peritia instructos fuisse crediderunt. Tanto insuper armaturæ Europæorum, gladiorum puta, bombardarum tormentorumque, ad primum Svecorum adventum capti sunt terrore, ut explosionis bombardæ auditus fugam ipsis maturaverit. Nec facile in bellum contra Europæos, nisi provocati, vel ab aliis Europæis ad hoc incitati ac solicitati, ruunt. Hanc ob causam cum Europæis plerumque sartam testamque conservant amicitiam. V. Camp. p. 144.

(r) Sturl. p. 342. Gentem hanc insoliti soni a Tauro editi terrore percussum fuisse, haud mirari convenit, quandoquidem boves silvestres, quos quædam regiones Amer. Sept. progenerant, sive æstu Venereo agitati, sive a venatoribus aliquo modo læsi, mugitus edentes ferocissimi & maxime noxii sunt, viæque præsentissimum periculum est, iræ & furori eorum se tum objicere. Vid. Hennepin *Nev. Discovery &c.* p. 89. *Charlevoix Hist. gen. d. N. T. T. V.* p. 193.

## §. VII.

**L**Imina Vinlandiæ ut primum adiverunt Scandiani, ipsis occurserunt Skraelingi, farcinas apportantes pretiosis pellibus impletas, quas illis permutandas obtulerunt; (s) In hac mercatura, armorum Scandanorum participes esse præoptarunt, (t) repulsa autem hujus petitionis data, lac adhibitum, potius quam alias quascunque res, in commercium abiturum voluerunt (u).

(s) Sturl. p. 342. Americanos etiam his temporibus ejuscemodi farcinis pretiosarum pelliū (præcipuæ partis mercium illorum) onustos fere quotidie domicilia Europæorum ibi degentium visitare, easque his venales extrudere, & ex itin. Cel. Præ. propediem edendo, & ex testimoniis omnium fere peregrinatorum, qui has lustrarunt oras, fatis superque patet. Quid? quod tam apte Americanis hominibus dier-

diernis descriptio Snorronis Sturlonidis etiam hoc in puncto convenit, ut vix magis graphice depingi possint.

(1) Non minus antiquiori tempore, quam hodierno etiamnum, gens Americana venatui & bello dedita, ferrique indagandi ejusque usus ante adventum Europæorum nescia, arma horum, utpote suis longe præstantiora, semper maximi fecit: hinc pro unico ense, cultro, securi, vel bombardâ plures sarcinulas pellium pretiosarum, plurium mensium capturam & fructum laborum multorum sæpius Europæis obtulerunt, fidem facientibus peregrinatoribus ac Topographis.

(2) Inter edulia, quæ ipfis maxime etiam hodierno tempore arrident, lac vaccinum merito refertur, quod cæteris dapibus Europæis ( si spiritum Vini excipias, qui prope ipsa vita illis est charior) fere gratius habetur. Si quando vaccam silvestrem latantem occidere Americanis contingat, prima eorum cura, primum opus est, uberibus os admovendo lac exsugere. Licet autem tanta sit Indis occidentalibus lactis appetentia, ea tamen desidia labrant, ut eo plane carere, quam in fœnifecio & reliqua cura pecudis hujus multum desudare, satius ducant. Vid. Itin. Cel. Præf.


### §. VIII.

**F**atemur equidem, argumenta a nobis in hac thesium farragine adducta, quibus Vinlandiam a priscis Septentrionalibus visitatam, Americæ Septentrionali vindicare studuimus, ejus esse indolis, ut ho-

rum plurima, seorsim sumta, aliis regionibus etiam  
 commode tribui possint, nihilo tamen minus quædam  
 ad Am. Boreal. solam tantum referri queunt. Ex omni-  
 bus vero in unum collectis, facile judicabit B. L. hanc  
 veritatem sua radiare luce. Cum autem a nobis B.  
 L. haud immerito videatur requirere, ut rationem  
 ipsi reddamus, in qua regione, Am. Sept. huc e Scandi-  
 navia transvecti exploratores substituisse autumamus,  
 nostri officii esse duximus, ut colophonis loco etiam  
 de hac re nostram aperiamus sententiam. Quod ad  
 Virginiam adtinet, non solum huic A. S. plagæ con-  
 veniunt prope omnia heic allata argumenta, verum  
 etiam Indiani, interrogati a C. D. Præside, num ante  
**Columbi** tempora quosdam antiqui orbis incolas huc  
 advenisse constet? spontaneam saepe mentionem inje-  
 cerunt antiquæ cujusdam traditionis, a majoribus in  
 posteros translatæ, quod scilicet a remotis procul terris  
 in Am. tractum, Virginiam hodie nūcupatum, aliquando  
 accesserint homines, quos ab incolis Virginiae e medio  
 sublatos fuisse simul innuerunt. Huic veritati etiam  
 robur addere videntur rudera ibidem reperta cujus-  
 dam putei, 20. pedum profunditatem habentis, mul-  
 to ante Europ. adventum ex laterculo coctili exstru-  
 eti, Vid. C. P. It. Am. T. II. p. 510, cum tamen  
 pateat, ante illud tempus usum laterculorum Am. Bor.  
 incolis prorsus ignotum fuisse. Hinc facile arbitra-  
 retur quisquam, Scandianos illos peregrinatores ad  
 Virginiae vel Pennsylvaniæ oras se contulisse; sed  
 quin huic opinioni calculum addamus, impedit nar-  
 ratio Snorronis de copia Salmonum, qua abundasse  
 testa-

testatur Vinlandiam, dum e contrario frustra tentatur hujus piscium generis capture circa Virg. littora & Lat. 41. grad. Bor. versus meridiem, quod indicat DOUGLASS in Lib. supra cit. p. 304. ut taceamus, non facile concipi posse, Scandianos nostros totam Terram Novam, (Terre Neuve) Angliam Novam insulasque ipsis adjacentes præternavigasse, hisce terris nec visis, nec vel minima illarum mentione facta. In Nov Eboraco quidem rudera adhuc apparent propugnaculi cuiusdam e falso constructi, teste Cel. Præside, sed cum plura millaria a mari distent (quanquam vix ultra spatiū milliaris a magno fluviō Hudsonis remota), veritati vix congruum videtur statuere, rudera prædicta Scandianorum opus esse. Quin autem sibi persuadeat quispiam, eos petuisse oras Americæ Australis, obstat certe jucunditas littorum A. Septentrionalis, oculis primum oblata, longioris insuper itineris tedium, & in primis plurima momenta in descriptione Vinlandiæ allata, quæ Am. Australi plagæ omnino adsignari nequeunt. Quidquid autem sit, omnis dubitationis expertem reddere hanc rem, & dīgito quasi monstrare, in qua Am. Bor. regione sedes sibi fixas pararunt saepius memorati Scrutatores, a nostra prorsus alienum est modestia; cum vix ac ne vix quidem ultra conjiciendi libertatem, hoc in negotio, tuto progredi liceat. Sic manum de tabula.

S. D. G.



Clarissimo egregiæ hujus Dissertationis  
A U G T O R I,

Amico exoptatissimo,

גשׁו הבחורים אל טושׁב הרים ורבים סָאַסְ  
טה ורשו לא ידרו או מדרך תאו אשר בחרו  
להתהלך בהזאת תבין אם אליהם תשגיח אשר  
אין יראה יהוה ומעת כינה בכלם כי אם תהיינה שתיה  
אהמת למדירס. אתה רעי ידרו פאר לחכמים אולם  
ספר כי בר חסר וחכמה משקוי לא נכח מפרק כי יראה  
יהוה ראשית חכמה על כן קראת יוטם ולילה ויט יהוח  
אזנו נתן לך שטעה יהו עזרתו אنسיו שתק להבין  
בז טוב לרעי כה ההלכה לפני יהוה כל ימי נוריר  
תחת אשר רדפת צורך חפש אדני בר וייטב לעניו לצורך  
צורך כטף זהב בכור ארץ אתה תפלה ויצילך אלהום  
מצרה בעת רazon ולא יתן למוט רגלה אשורי האיש  
שכחה היה למוד יהוה לחייב מאום אמן ס  
גרולה היא על כי פה פערת ושבחת דעת מסעינו  
אלופום בושראלי. ידרוי ימלא פי שחוק ולשוני  
רנה על אשר חבלים נפלו לך בענימים גם נחלה ספרה  
עליך. אף לבי חלל בקרבי בזרכני כל רחמים אשר  
אביך איש האלים אמר אתה תוסיפו לעשות עפדי  
יען לא יוכל לשלם כי אין כסף ולא זהב לו. ואני  
בעורני חי אשתחווה להרים רגלי עליון להתפלל —  
ישמע תмир אתכם ובואכם וכאשר תשבעו ותשׁמַע  
וביאכם אל ארץ חיים. האלח.

*ita adplaudit,*

O. L. SCHALBERG.